

CCLXXXVII. Nihil quicquam sit tibi cum terra commune, ac labore nullo egebis. (*Hom. 8. in c. 4.*)

CCLXXXVIII. Una solum re opus est, ut scilicet Deum germano amore prosequamur, & omnia alia subsequantur. (*Hom. 15. in c. 8.*)

CCLXXXIX. Christum inter hæredes tuos conscribe. Non pavisti eum dum viveres; saltem hinc abiturus, cum jam non amplius eorum, quæ possidebas, usum, ac potestatem habes, tua illi contribue; non erit, quippe benignus est, curiosus, aut difficilis erga te. Majoris quidem amoris signum fuerit, majoreque dignum mercede, si Christum dum vivis, paveris: si vero istud non feceris, vel quod secundo loco id quod licet agredere, nimirum relinque illum filiis tuis cohæredem. (*Ibid.*)

CCXC. Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem: & quomodo corpus, inquis, fiet hostia? Nihil mali respiciat oculus; nihil turpe loquatur lingua, & facta est oblatio... at non sufficiunt ista, sed ut bona etiam faciamus opus est; nimirum, ut eleemosynas det manus, benedicat os maledicentibus, auditus divinis sermonibus continuo vacet. Nihil habet immundi hæc hostia. (*Hom. 20. in cap. 12.*)

CCXCI. Extremæ necessitatis est, pro uno pane totam hominis miseri vitam curiose inquirere? Nam etsi homicida, si latro, aut aliud hujusmodi fuerit; an non videtur tibi, vel modico pane, vel modica pecunia dignus? Et tamen Dominus tuus solem suum illi producit; tu vero quotidiano cibo illum indignum judicas? Ego vero quod adhuc majus est illi esse refertum malis, neque sic excusationem habeas, si quotidiano cibo illum privaveris. (*Hom. 21.*)

CCXCII. Ista imperantur omnibus, & Sacerdotibus, & Monachis, ne solum sæcularibus; Omnis anima potesta-

tibus sublimioribus subdita sit, etiamsi Apostolus sis, & Evangelista, aut Propheta. Neque enim pietatem subvertit ista subjectio. (*Hom. 22.*)

CCXCIII. Propterea ab antiquis temporibus communi omnium sententia Principes à nobis sustentari debere visum est; ob id, quod sua ipsorum negligentes, communes res curant; universumque suum otium ad ea impendunt, quibus non solum ipsi, sed & quæ nostra sunt salvantur. (*Ibidem.*)

CCXCIV. Deum amare istud Regnum cælorum est, istud vera voluptas... istud ipsa beatitudo est, imo quamvis magna dixerò, nihil tamen afferre potuero, quo amoris hujus dignitatem repræsentem, sed sola experientia, quantum hoc bonum sit, docere poterit; unde & Propheta dixit: delectare in Domino, & gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Persuadeamur ergo, deliciemurque in illius dilectione. Sic enim angelicam vitam vivemus; & licet in terra commoremur, nihil minus habebimus ab illis, qui cælos habitant. (*Ibidem.*)

CCXCV. Carnis curam ne agatis ad concupiscentias. Non carnis curam agere simpliciter prohibuit, sed ad concupiscentias, quale est dum necessarius usus exceditur... igitur carnis cura habenda ad sanitatem, non ad lasciviam. Neque enim ea vera fuerit carnis cura, si flammam accenderis intolerabilem. (*Hom. 24. in cap. 13.*)

CCXCVI. Tantum comede, quantum ad tollendam famem faciet; ita induere, ut nihil quæras, quam tegumentum. Non est vestibis ornanda caro, ne ornatu illam perdas. Nam & meliorem inde facies, & bonam ipsius valetudinem corrumpes, dum nimia mollitie dissolvitur... fac omnia ista instituas, ut opportuna sint, & accommoda. (*Ibidem.*)

CCXCVII. Qui dilectus diligit, mercedem tibi eo ipso jam reddidit. Qui vero dilectus non diligit, Deum pro seipso debitorem tibi constituit... præterea si te non dilexe-

rit, tum potissimum tua cura & adjutorio juvandus est... ne dicas itaque, quoniam odio habeor, propterea non diligam, propter hoc enim ipsum potissimum diligere debes. (*Homil. 27. in cap. 15.*)

CCXCVIII. O Pastor, ignoras ne hujus gregis dignitatem! An illius gratia Dominus tuus innumera non fecit? An non postremo & sanguinem suum fudit? Tu vero requiem quæris. (*Homil. 29.*)

CCXCIX. Erit tam in peccatis, quam in recte factis etiam minutissimorum exacta inquisitio. Oculorum impudicorum poenas dabimus, & verbi otiosi, ac simplicis convicii, atque poculi aquæ frigidæ mercedem accipiemus, imo & solius gemitus. (*Homil. 31. in cap. 16.*)

CCC. Nihil est æque Deo gratum, atque grati esse animi, & gratias agere, tam pro se, quam pro aliis. Et ideo Paulus in omni epistola gratiarum actionem præponit. (*Hom. 2. in cap. 1. epist. ad Corinth.*)

CCCI. Quando factum fuerit aliquid supra naturam ita ut cum eo adsit, & quod decet, & quod est utile, est perspicuum quod hæc fiant divina quadam virtute & opæ. Considera autem; piscator, tabernaculorum contextor, Publicanus, imperitus, illiteratus, Philosophis, oratoribus devictis omnibus, eos parvo temporis spatio subegerunt, cum multis periculis, populis & Regibus resistantibus, ipsa pugnante natura, temporis antiquitate, & longa acriter adversante consuetudine, dæmonibus armatis, & nihil non momentibus. (*Homil. 3.*)

CCCII. Non enim ab exitu eorum, quæ recte fiunt, sed ex mente eorum, qui recte faciunt, solet Deus coronas definire. (*Ibidem.*)

CCCIII. Sta in foro: interroga abeuntes, & redeuntes, neminem videbis festinare pro re spirituali, sed omnes currere pro carnalibus. (*Hom. 8. in cap. 3.*)

CCCIV. Cui regnum cælorum est pollicitus, & tam multa bona, præsentia quomodo non dabit? Ne superflua appetamus, sed sufficientiam, & ea esse contentos mordicus teneamus, & semper erimus divites. Tegumenta quæramus, & alimenta, & omnia apprehendemus, & ea, & iis multo majora. (*Homil. 16. in cap. 6.*)

CCCV. Ne mihi dicas, non est hoc, aut illud prohibitum, propter quod offenditur alius, imo & permittitur. Nam etiam si ipse Christus permiserit, videris autem lædi quempiam, desiste, & ne utere permissione. Hoc fecit Paulus, qui cum liceret accipere concedente Christo, non accepit. (*Homil. 21. in cap. 9.*)

CCCVI. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Valde fideliter dixit, & terribiliter... id quod est in calice, est id quod fluxit è latere, & sumus illius participes. Calicem autem benedictionis vocavit, quod eum habentes in manibus, sic eum hymnis, & laudibus prosequimur admirantes, ineffabile donum stupentes, benedicentes, bonisque verbis prosequentes, quod eum ipsum effudit, ne maneremus in errore; & non solum effudit, sed etiam eum ipsum nobis impertiit. (*Hom. 24.*)

CCCVII. In Judæis quidem non dixit Paulus, quod sunt Dei participes, sed altaris; utebatur enim quod in altari fuerat positum. In corpore autem Christi non sic. Sed quomodo? Communicatio corporis Christi est. Non enim altaris, sed ipsius Christi sumus participes. (*Ibidem.*)

CCCVIII. Si vestem Regis ne ausus fuerit quidem quisquam eolum tangere, quomodo corpus Dei, qui est super omnia, quod est mundum, & nulli affine reprehensioni, quod cum illa divina natura est conversatum, propter quod sumus, & vivimus, propter quod fractæ sunt portæ inferorum, & apertum cælum, hoc accipiemus cum tanto probro, & contumelia? Rogo ne nos occidamus per impudentiam,

sed cum timore, & summa puritate ad ipsum accedamus: & quando ipsum videris propositum, dic: propter hoc corpus non sum ego amplius terra, & cinis; non sum captivus, sed liber; propter hoc spero me accepturum cælos, & omnia bona, quæ in eis sunt, vitam, immortalitatem, Angelorum conditionem. (*Ibid.*)

CCCIX. Si cum sacra mensa illuc excesserimus, cum magna fiducia sacra ascendemus vestibula, veluti quibusdam armis aureis undique muniti. Quid dico futura? Hic enim terram tibi cælum facit hoc mysterium. Aperi ergo cæli portas, vel potius cæli cælorum, & perspice... quod illic est omnium pretiosissimum, & maxime honorandum, hoc ostendam tibi situm in terra. Sicut enim in Regia, id quod est omnium magnificentissimum, non parietes, non tectum aureum, sed corpus Regis sedens in solio. Sed hoc tibi nunc licet videre in terra. Non enim Angelos, nec Archangelos, neque cælos cælorum, sed ipsum eorum ostendo Dominum. Quod est maxime præstantissimum, & maxime honorandum vides in terra: neque solum vides, sed etiam tangis, comedis, & eo accepto domum reverteris. (*Ibidem.*)

CCCX. Si oportet alterum alterius onera portare, multo magis uxoris; etsi sit pauper, ne exprobes; etsi sit stulta, ne insultes, sed potius eam corrigas, & emendes; est enim membrum tuum, & facti estis una caro. Oportet, & Deum rogare, & eam admonere, & ei consulere, & omnia facere, ut vitium amputes. (*Homil. 26. in cap. 21.*)

CCCXI. Quidam ex Philosophis externis, cum malam haberet uxorem, rogantibus cur eam habere sustineret, respondit, ut domi haberet gymnasium, & palæstram philosophiæ; ero enim cæteris mitior, si in eo quotidie erudiar... ego defleo valde cum Græci nobis sint sapientiores, nobis, qui pacti sumus Angelos imitari, imo vero qui jussi sumus Deum æmulari in ratione mansuetudinis. (*Ibidem.*)

CCCXII. Quicumque biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Quare? Quoniam ipsum effudit, & ea res pronunçavit mactationem, nequam autem sacrificium. Quomodo ergo & qui tunc pupugerunt, non ut biberent pupugerunt, sed ut effunderent: ita etiam qui indigne ad id accedit, & nihil fructus inde percipit. (*Homil. 27. in cap. 11.*)

CCCXIII. Dum judicamur, à Domino corripimur. Nam quod fit est magis admonitionis, quam condemnationis; curationis, quam punitionis; correctionis, quam castigationis. (*Homil. 28.*)

CCCXIV. Tu si corpus ejus divitis iniqui mutilatum esset, & inversum, cum lacrymis mille deflendum esse diceres; totam autem ejus animam videns mutilatam, eum beatum existimas? At non sentit, inquis; & propter hoc ipsum rursus est miserabilis; sicut & qui sunt emotæ mentis. Nam qui scit se ægrotare & quæret omnino medicum, & patietur medicamentum. Qui autem ignorat, ne poterit quidem liberari. (*Homil. 29.*)

CCCXV. Si quid patitur unum membrum, &c. Tria exigit Paulus; non abscindi, sed exacte esse unitos, alteram alterius similiter curam gerere, existimare communia ea quæ accidunt. (*Hom. 31. in cap. 12.*)

CCCXVI. Invidio nullus ad cælum patet aditus; quin etiam ante cælum ne hæc quidem vita est ei vitalis. Neque enim lignum vermis sic solet erodere, ut invidiæ febris ipsa invidiorum ossa exedit. (*Ibidem.*)

CCCXVII. Si charitas esset ubique, quam multa bona existerent! neque enim opus esset legibus, neque judiciis, neque ullo alio hujusmodi. Nam si omnes diligerent, & diligerentur, nullus cuiquam faceret injuriam; sed cædes, & pugnæ, & seditiones, & rapinæ, & omnia mala procul abessent, & nomine tenus ignoratum esset vitium... nec esset paupertas,

nec immodica divitiarum copia, sed ea sola quæ ex utrisque sunt bona. Nam & perciperemus eam, quæ ex illis est, abundantiam, & quæ ex hac oritur curarum, & sollicitudinum vacuitatem; neque curas divitiarum, neque paupertatis metum sustineremus. Et quid dico; lucra, quæ ex ea fiunt. (*Homil. 32. in cap. 15.*)

CCCXVIII. In Ecclesia ne propinquum quidem licet alloqui; & ne si amicum quidem longo tempore absentem exceperis. Sed hæc foris fiunt, & merito... non enim fori est taberna Ecclesia, sed locus Angelorum, Regnum Dei, ipsum cælum. Quomodo ergo si quis diductum cælum illuc introduxisset, etiamsi Patrem videres, ne auderes quidem alloqui: ita hic ne aliud quidem loqui oporteret præter spiritualia. Nam hic quoque est cælum. Quare si non credis, respice ad hanc mensam, recordare propter quam causam hic stes. Cogita quis sit, qui huc procedat, venerare, & obstupesce etiam ante tempus. Etenim si quis solum viderit Regis solium, animo assurgit expectans Regis exitum. (*Homil. 36. in cap. 14.*)

CCCXIX. Nemo ex iis, qui sunt in vitio, desperet; nemo ex iis, qui sunt in virtute, præfidat; sed & hic sit timidus & ille promptus & alacris. Neque enim, qui piger est, & socors, aptus erit ad virtutem sectandam; neque qui studium adhibet, & diligentiam, erit imbecillis ad fugiendum vitium. Horum amborum est exemplum Beatus David; ut qui quando parum dormitaverit, ceciderit graviter, & quando fuit compunctus, ad priorem reversus sit altitudinem. (*Hom. 38. in cap. 15.*)

CCCXX. In quo differt dives à paupere? Non unum induit corpus? non unum alit ventrem in quo plus abundat? In sollicitudinibus, in consumendo, in eo quod Deo non pareat, in eo quod carnem corrumpat, in eo quod animæ exitium afferat. Hæc sunt in quibus plus habet quam pauper. (*Hom. 40.*)

CCCXXI. Mortuis oportet succurrere; non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis, & oblationibus. Non sunt enim hæc temere excogitata, neque frustra eorum, qui excesserunt, in divinis mysteriis meminimus, & pro ipsis accedimus, rogantes agnum propositum, qui mundi peccatum tulit: sed ut inde aliqua sit eis consolatio. Non enim abs re is, qui astat altari, dum veneranda peraguntur mysteria, clamat; pro omnibus, qui in Christo dormierunt, & iis, qui pro ipsis celebrant memorias. (*Homil. 41.*)

CCCXXII. Et si bonam perdideris uxorem, gratias age Deo; fortasse te vult adducere ad continentiam. Ad majora vocat operum septa, quæ ascendas; voluit te liberare à vinculo. (*Ibidem.*)

CCCXXIII. Qui hic fruitur quiete, non tam præclaras illic habet coronas. Ne hic ergo quæramus remunerationem, sed tunc maxime lætemur, quando bona opera agentes male patimur. Non solum enim ex recte factis, sed etiam ex tentationibus Deus nobis illic refundit mercedem. (*Hom. 43. in cap. 16.*)

CCCXXIV. Pauperum arculam domi faciamus, & juxta locum, in quo oras sita sit, & quoties ad orandum fueris ingressus, depone primum eleemosynam, & tunc emitte precatorem. (*Ibidem.*)

CCCXXV. Opifex cum aliquid vendiderit ex iis, quæ sua arte fiunt, det Deo primitias pretii, & ex minori parte cum Deo partiatur. Non magnum quid peto, sed tantum quantum Judæi infantes, tantum nos, qui cælum expectamus, jaciamus. Hæc autem dico non legem ferens, neque prohibens, ne plus eroges, sed æquum censens ut non minus deponas, quam partem decimam. Hoc autem fac non solum vendens, sed etiam servant qui prædia possident in proventibus: eam omnes qui colligunt vectigalia justa. (*Ibidem.*)

CCCXXVI. Filius hominis non habet ubi caput reclinet. Nemo deliciis studens, ac dormiens, cum Christo societatem habet; nemo eorum, qui molliter, ac remisse vivunt: verum is demum illi vicinus est, qui in calamitate, ac tentatione versatur, atque arctum vitæ iter tenet. (*Hom. I. in cap. I. Epist. 2. ad Corinth.*)

CCCXXVII. Nonnulli ita ignavi, ac dissoluti sunt, ut in sacri officii tempore stent, & confabulentur. Hinc omnia subversa sunt; quia quo tempore maxime curandum est, ut Deum nobis reconciliemus, hoc ipso ita discedimus, ut ejus iram in nos concitemus. (*Ibidem.*)

CCCXXVIII. Non ex scelerum tantum natura, sed ex peccatorum etiam animo, atque affectione, indicenda est poenitentia; quemadmodum fecit Paulus erga Corinthium, quod ipsius imbecillitatem extimesceret, ideoque dicebat, ne absorbeatur. (*Ibidem.*)

CCCXXIX. Vidit Deus, quod conversus est unusquisque in Ninive à via sua prava, & poenituit eum malorum, quæ locutus fuerat, ut faceret eis: Non dixit, vidit jejunium, & cilicium, ac cinerem; nec tamen hæc eo dico, ut jejunium tollam, (avertat hoc Deus) sed ut vos ad id quod jejunio præstantius est, faciendum hortor, hoc est, ut ab omni vitio abstineatis. (*Ibidem.*)

CCCXXX. Cum peccaveris, ingemisce, quod poenas daturus sis, nihil enim hoc est, sed quod Dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique salutis tuæ appensum, ut filium quoque suum tua causa tradiderit. Ingemisce igitur, neque id unquam facere intermitte... etenim hoc demum est confessio. Non nunc lætum, cras autem moestum, ac rursus lætum te præbe: verum perpetuo in tui contritione mane. (*Ibidem.*)

CCCXXXI. Numerata remedia, quibus vulnera tua sanantur, atque omnia continenter impone. Humilitatem nem-

pe, confessionem, injuriarum oblivionem, gratiarum actionem, in rebus adversis, atque incommodis, misericordiam in juvandis tam pecunia, quam studio, atque officio proximis, firmas denique atque robustas preces. (*Ibidem.*)

CCCXXXII. Quid habes quod non accepisti? Hæc porro maxima virtus est, omnia Deo ascribere, nihil suum esse ducere, nihil propriæ gloriæ causa facere; sed ad Dei voluntatem perpetuo intentam oculorum aciem habere. Hic enim est, qui vitæ actæ rationes exacturus est. (*Hom. 5.*)

CCCXXXIII. In precibus vigilantem animum præstare possumus; si quem alloquamur cogitemus, si illud reputemus nos sacrificium offerre, gladiumque in manibus, ignem, atque ligna habere, si cæli portas per cogitationem reservemus, si illuc migremus, acceptumque spiritus gladium in victimæ jugulo desigamus, ipsique vigilantiam imolemus, ac lacrymas effundamus. Hic enim hujus victimæ sanguis est. Ne igitur sinas quicquam humanarum cogitationum animam tuam tum occupare: subeas in mentem Abrahamum, cum sacrificium offerret, non uxori, non servo, non alii cuiquam, ut adesset, permisisse. Sic tu minime sinas, ut servilis ullus, & illiberalis affectus tibi adsit, sed solus in montem ascende, ad quem ille ascendit, & ad quem nefas est alium quempiam ascendere. Quod si quæ hujusmodi cogitationes una conscendere conentur, impera eis cum autoritate, ac dic: sedete hic, ego autem & filius postquam adoraverimus, revertemur, atque asina, & puëris, & si quid brutum, ac stolidum est, humi relictis, si quid ratione præditum est, accipe, atque ascende, quemadmodum ille assumpsit Isaac. (*Ibidem.*)

CCCXXXIV. Visne scire quantum malum sit turpia loqui? Animadvertite quemadmodum eos quæ audient, obscœnitatis tuæ pudeat... Quid enim vilius, quid contempibilius homine turpia proloquente? Nam qui tales sunt, in

histrionum classem, atque in prostitutæ pudicitia mulierum ordinem sese contrudunt. (*Homil. 6. in cap. 5.*)

CCCXXXV. Habet quidem ortum à dæmone pravus amor, sed à nobis primum... ortum habet à consuetudine, verborum blanditiis, otio, ac cessatione... magna quippe vis est consuetudinis, atque adeo tanta, ut in naturæ necessitatem migret. Quod si consuetudinis est hanc procreare, non dubium quin etiam extinguere. Sane multi ad hunc modum amare desierunt, cum quas amabant, non cernerent. (*Ibid.*)

CCCXXXVI. Quæ tibi fieri vis, hæc ipse facito; non dixit, quæ non vultis vobis fieri, hæc ne quidem ipsi facite; sed quod majus est. Illic enim à malis tantum abstinetur; hic vero bona quoque afficiuntur; atque hujus complexu, illud etiam coercetur. Ad hæc non dixit: hæc vos quoque velitis, sed facite illis. (*Homil. 17. in cap. 8.*)

CCCXXXVII. Nihil tam diabolicum est, quam ad ostentationem aliquid efficere. (*Homil. 24.*)

CCCXXXVIII. In mundo pressuram habebitis, aiebat Christus... itaque si inter discipulos censeris, arctum, & angustum iter capesse, nec animum desponde. Nam nisi ad hunc modum premaris, omnino te infructuosa quædam alia de causa premi necesse erit. Nam & invidus, & pecuniarum avidus, & amore impuro flagrans, & inanis gloriæ, & quilibet eorum, qui prava consecantur, multos moerores, multas calamitates subit, nec minus, quam qui lugent, angitur. (*Homil. 26. in cap. 12.*)

CCCXXXIX. Cum omni humilitate, non ea, quæ est in verbis, nec in rebus solis, sed & quæ est in habitu, ac gestu, & sermone, non in hunc quidem humilis, in illum vero audax. Sim in omnes humilis, sive sit amicus, sive inimicus, sive magnus, sive parvus, hoc est humilitas. Etiam in bonis actionibus sis humilis. (*Homil. 9. in cap. 6. Epist. ad Ephes.*)

CCCXL. Sustinentes invicem in charitate; quomodo potest sustineri, si est iracundus, si accusans, & maledicus? Dixit in charitate. Si propinquum non sustines, quomodo te sustinebit Deus? Si ipse non fers conservum, quomodo te ferat Deus? Ubi est charitas, ferri possunt omnia. (*Ibid.*)

CCCXLI. Dico, & protestor Ecclesiam scindere non minus esse malum, quam incidere in hæresim. (*Hom. III.*)

CCCXLII. Magnum propterea est malum, quoniam nihil esse videtur. Nam quæ nihil esse videntur, facile contemnuntur. Quæ autem contemnuntur, etiam augentur, quæ autem augentur, sunt incurabilia. (*Homil. 14. in cap. 4.*)

CCCXLIII. Vides hæc sancta vasa? Nunquid ad unum unus est eorum usus? Num audet quispiam his uti ad aliquid aliud? Tu es his vasis sanctior, & multo sanctior, cur ergo te ipsum polluis, & inquinās? (*Ibidem.*)

CCCXLIV. Qui nihil boni fecit, quem locum accipiet? Nam bonum non fecisse malum. Nam dic mihi, si quem habeas famulum, qui ab ebrietate, & aliis omnibus abstineat, perpetuo autem sedeat otiosus, & nihil faciat ex his, quæ famulus debet adimplere domino, non eum cædes flagris, non eum torquebis? Atque nihil mali fecit? Hoc ipsum ergo est malum. (*Homil. 16.*)

CCCXLV. Tu, qui Deum vocas Patrem, & proximum fratrem, videns eum mala facientem innumerabilia, ejus gratiam præponis ipsius utilitati. Ne hoc facias, rogo. Nullum est tantum amicitia indicium, quantum fratres peccantes non despiciere. (*Homil. 18.*)

CCCXLVI. Qui psallunt, implentur Spiritu Sancto: sicut qui Satanica canunt carmina, spiritu immundo. (*Homil. 19.*)

CCCXLVII. Non tantum pro manifestis beneficiis, sed pro iis, quæ non sunt manifesta, & quibus vel inviti afficimur, agamus gratias. (*Ibidem.*)

CCCXLVIII. Eleemosyna, inquit, & fides te non deserat. Non dixit, semel facito, aut bis; aut ter, aut decies, aut centies, sed perpetuo te non deserant, inquit; nec vero dixit; ipsas ne deseras: sed ipsæ te non deserant, ostendens nos esse, qui ipsarum egeamus, non ipsas nostri: docensque nihil nobis non faciendum esse, ut illas apud nos retineamus. Circumda eas, inquit, collo tuo. (*In Epist. ad Philip. Præf.*)

CCCXLIX. Non idcirco ille puniebatur, quoniam dives erat; sed quoniam misertus non est: licet enim diviti: dummodo misericordia se duci sinat, cujusvis boni esse compati. (*Homil. 2. in cap. 1.*)

CCCL. Non est, non est pauper ille, qui nihil habet, sed qui multa cupit: non est dives qui multa possedit, sed qui nullius eget rei. (*Ibidem.*)

CCCLI. Aliud quidem est humilitas, aliud vero illi: beralitas, & assentatio, & molles blanditiæ. (*Homil. 5.*)

CCCLII. Qui murmurat, ingratus est erga Deum, qui vero erga Deum ingratus est, profecto blasphemus etiam est. (*Homil. 8.*)

CCCLIII. Sive vera, sive falsa sint, quæ adversus illos, hoc ipso quod illis maledicitis, vos ipsos læditis: quid ita? quoniam si vera quidem fuerint, nihilominus nocetis, iudicium de magistris ferentes, & ordinem disturbantes; nam si de fratre iudicare non oportet, multo minus de magistro: sin autem falsa, intolerabile omnino supplicium, ac poena. (*Hom. 9.*)

CCCLIV. Mœrores, & sollicitudines, cum præter modum animam distrahunt, suo robore illam privant. (*Homil. 1.0 in cap. 3.*)

CCCLV. Magnum bonum est crux, salutaris armatura, clypeus minime pervius; sed reluctans diabolo; cum hoc igitur si bellum geras, tunc gestas crucem, non tantum

accepto signaculo, sed etiam quæ crucis propria sunt subiens, ac patiens. (*Homil. 13.*)

CCCLVI. Non enim quæritur multa ne dederis, sed num minus dederis quam ferant facultates: hoc enim est ludentis. (*Hom. 8. in Epist. ad Coloss. cap. 3.*)

CCCLVII. Audite quæso vos omnes, quibus curæ sunt, quæ ad hanc vitam pertinent, & parate vobis libros, medicamenta animæ. Si nullos alios vultis, novum quidem Testamentum vobis parate, Apostolorum actus, Evangelia, magistros perpetuos. Si dolor acciderit, tanquam in medicamentorum apothecam aspice, illinc mali accipe consolationem. Si damnum, si mors, si tuorum amissio. Imo vero non aspice, sed omnia suscipe, & ea mente tene. Hoc est malorum omnium causa, nescire scripturas. (*Hom. 9.*)

CCCLVIII. In omnibus cum prius oras res aggredere. Vis aliquid loqui? Hoc præpone, & ideo nos quoque in epistola nomen Domini præponimus. Ubi fuerit nomen Domini, omnia sunt fausta, & felicia. (*Ibidem.*)

CCCLIX. Vis videri pulchra, & decora? Tibi sufficiat formatio Creatoris. Quid aurea inducis ornamenta, tanquam id quod Deus effinxit correctura? Vis videri decora? induere eleemosyna, induere benignitate, induere modestia & temperantia, & à te absit fastus. Hæc omnia sunt auro pretiosiora. (*Homil. 10. in cap. 4.*)

CCCLX. Ubi sunt tibicines, nequaquam est Christus. (*Hom. 12.*)

CCCLXI. Tu vero propter Dei metum forti, & magno tulisti ac immobili animo, & maluisti quidvis pati, quam sustinere ut aliquid ageres ex iis, quæ pertinent ad cultum idolorum. Hoc tibi affert coronam martyrii... ego dico, quod sicut ille magno, & forti animo fert dolores tormentorum, ut non adoret simulacrum, ita tu quoque fers dolores morbi, ut nullo opus habeas eorum, quæ ille præ-